

tiones ex rebus humanis non dependent: non enim judicare de agendis, aut aliquid dare, vel distribuere solius hominis est, sed cujuslibet intellectum habentis, secundum tamen quod ad res humanas contrahuntur, ex his quodammodo speciem sumunt, sicut curvum in naso facit speciem simi. Virtutes igitur prædictæ secundum quod ordinant humanam vitam activam, ad has actiones ordinantur, prout ad res humanas contrahuntur; ab eis speciem sumentes, secundum quem modum Deo convenire non possunt: secundum vero quod actiones prædictæ in sua communitate accipiuntur, possunt etiam divinis rebus aptari. » Et infra: « Divinæ virtutes nostrarum exemplares dicuntur: alia vero virtutes, quæ proprie Deo non conveniunt, non habent exemplar in divina natura, sed solum in divina sapientia: quæ omnium entium proprias complectitur rationes. » Manifeste ergo S. Thomas extrahit virtutes ab imperfectionibus humanis, ut Deo tribuantur, et ex istis sic purificatis alias tribuit Deo, alias negat, et inter has justitiam commutativam: ergo sentit justitiam istam sic in sua essentiali, et intima ratione includere imperfectionem, ut prorsus ab illa purificari non possit.

FUNDAMENTUM D. THOMÆ ELUCIDATUR.

VII. Restat pro fundamento videre, quænam ista imperfectio sit, sic essentialiter in ipsa justitia commutativa imbibita, ut ab ipsa nullo modo purificari possit, manendo in sua formali, et essentiali ratione: ad hoc enim unicum principium, totam fundamentum hujus assertionis reduci debet: varie enim circa hoc discurritur ab auctoribus. Nam

quidam id sumunt, ex parte materiæ, circa quam versatur commutativa justitia, quæ est datum, et acceptum: id enim pertinet ad commutationes, seu communicationes; nulla vero materia dati, et accepti est communis Deo, et nobis: nihil enim ei utilitatis conferre potest quidquid dederimus illi. Alii sumunt hanc imperfectionem ex parte personarum, inter quas est tanta inæqualitas, ut fundare non possint ad invicem jus commutativum, et rigorosum: si enim inter patrem, et filium, dominum et servum, non potest intercedere jus stricte dictum, nec justitia commutativa, quia filius est aliquid patris, et servus domini, et quidquid illorum est, quanto minus poterit esse inter Deum, et creaturas, cum quidquid creaturæ est, Dei sit? Alii denique recurrunt ad debitum, et obligationem, in qua essentialiter fundatur jus legale, seu rigorosum; Deus autem incapax est obligationis, et debiti ad creaturam. Et ideo ut hoc debitum Suarez temperaret, dixit esse imperfectum, quando ex lege, seu ordinatione superioris, aut ex actione alterius inducitur, non autem si ex voluntate et pacto ipsius, qui se vult obligare. Et sic ex promissione, et pacto Dei nascitur hoc jus commutativæ justitiæ, non eo secluso; si enim secludamus promissionem, et pactum Dei, solum admittit in Deo justitiam per modum providentiæ gubernativæ, non per modum justitiæ stricte dictæ, ut patet loco citato in III tomo de gratia, lib. XII, cap. xxx. Unicuique enim creaturæ dat quod suum est ratione suæ sapientiæ, et providentiæ, quæ singulis providet, prout aptum est illis, non tamen ex obligatione stricta id facit, nisi se voluerit obligare, quod fit vel pacto, vel permissione.

VIII. Rationes istæ, ut efficace

sint ad unicam quam S. Thomas semper tetigit, reducendæ sunt: semper enim mihi vim magnam ingerit ratio, quæ S. Thomam movit et in tot locis ea usus est.

Ratio autem qua S. Thomæ utitur est eadem semper, quia videlicet nos nihil possumus Deo dare, quod non prius ab ipso sit, et totum ejus sit; et sic nemo potest prior illi dare, ut ratione illius retribuatur: hoc enim ratione usus est Apostolus: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Et eam inde sumpsit D. Thomas ut concluderet non posse fundari jus commutativum inter Deum et creaturas, quia hoc jus, et hæc obligatio nascitur ex communicatione quam unus dat alteri, non accipiendo ab ipso, sed de suo dando ei. Si autem id super quo fundatur jus et obligatio unius partis, non nascitur ex altero, sed ex se, quantumcumque faciat pactum vel promissionem, non nascitur jus commutativum, sed vel fidelitatis, vel gratitudinis, vel alterius similis virtutis. Justitia autem commutativa essentialiter fundatur in communicatione, seu commutatione, quam unusquisque dat de suo, non accipiendo ab alio, et quia repugnat Deo quod accipiat aliquid a creatura, quod suum non sit, ideo repugnat in Deo fundari jus commutativum, seu ex communicatione ortum, quantumcumque ex promissione et pacto Dei oriatur, quia nisi tale pactum fiat super tali materia, scilicet super accepto ab alio de suo et non proveniente a Deo, non potest jus istud fundari. Hoc accurate expendendum est, quia hoc est totum fundamentum nostræ sententiæ. Illud autem reducimus ad sequentem syllogismum.

IX. Certum est jus commutativum fundare obligationem et debitum in persona ortum ex actione alterius erga se, ita quod solum pactum aut

promissio unius partis non sufficit, si obligatio non resultet ex alterius partis actione aut communicatione: sed certum est quod ex nulla actione aut communicatione creaturæ erga Deum potest nasci talis obligatio et debitum in Deo, etiam intercedente pacto, et promissione ipsius: ergo repugnat jus commutativum inter ipsum, et creaturam poni, et consequenter neque justitiam commutativam, quia hæc essentialiter respicit hoc jus, et ab eo specificatur. Majorem sic explico, quia jus commutativum est illud, ratione cujus una persona habet jus erga aliam, ut aliquid faciat, ita quod si illud non impleat, contra jus talis personæ faciat, et committat injustitiam, et hoc jus contra aliam debet nasci ex actione seu communicatione quam unus facit circa alium: si enim nihil faciendo nasceretur jus et obligatio in alio erga se, tale jus non esset ex communicatione, sed ex alio titulo, v. g. ex naturali vinculo, sicut parentes tenentur filiis, et e contra, aut ex aliqua lege superioris. Jus autem commutativum nascitur, et obligationem seu debitum inducit ex alterius actione, vel communicatione in alterum, sicut ex contractu, aut quasi contractu. Ad hoc autem ut ex actione mea resultet obligatio, aut debitum in altero, requiruntur duo. Primum, quod illa actio seu communicatio non sit aliquid illius et ipsius propria, aut sub ejus dominio: nam ex his quæ sunt propria et alias mea, quomodo potest mihi induci obligatio et debitum, seu jus, ita ut contra justitiam faciam, si ei non deferam, cum de meo possim facere, et uti sicut voluero sine læsione juris alterius. Secundo, requiritur pactum seu contractus, aut quasi contractus, non quia pactum det valorem actioni, seu materiæ quam alteri do, vel comunico, sed

quia est explicatio oneris, et tituli quo illi do, ut in altero resultet obligatio, et debitum justitiæ, quia si facio, aut do aliquid sine pacto exprimente vim, et onus obligandi, non tenetur alter se obligatum sentire, quia potest titulo liberalitatis, aut gratiæ præsumere sibi oblatum, et ita gratificari tenebitur rem sic sibi factam, sed non ex justitia retribuere, et ex stricto debito, sicut si aliquis in vinea laborat non ex condito aut pacto, non teneor illi ex justitia mercedem reddere, quia non convenit mecum, licet labor ille valeat de se id ipsum quod reddi ei deberet si præsceretur. Unde et in hoc convenit nobiscum Suarez, quod pacto non interveniente non oritur in Deo titulus strictæ justitiæ, sed solum providentiæ generalis, qua unicuique tenetur dare quod ejus natura exigit, non jure obligationis, sed dispositione sapientiæ, et regulatione providentiæ dantis unicuique quod suum est. Cæterum nec sufficit sola promissio, et pactum Dei ad inducendum hoc jus justitiæ, nisi cadat tale pactum super materiam habilem, et proportionatam ad tale jus statuendum, quod strictam obligationem non inducit, nisi vis obligationis fundetur super aliquo dato aut facto quod in alterius potestate non est. Nam etiam potest facere Deus promissionem aut pactum faciendi aliquid, quod tamen ex justitia nullo modo facit, sed ex fidelitate vel gratia, sicut fecit pactum et promissionem, et fœdus cum Abraham de incarnatione Filli sui quod ante promiserat per prophetas, ut ait Apostolus, et Abraham dictæ sunt promissiones hujus mysterii, et tamen non ex justitia datus est Christus, sed ex amore et gratia. Et promittit Deus exaudire orationes nostras, sicut dicitur Psal. xc: *Invocabit me et ego exaudiam eum*: et Joan. xiv: *Petite et accipietis*; nec tamen

ex justitia Deus implet petitiones nostras, sed ex misericordia sua et fidelitate promissi. Non ergo sufficit quæcumque promissio, et pactum ad inducendum jus commutativum strictæ justitiæ, sed debet cadere pactum super talem materiam, quod ex ejus communicatione seu actione nascatur in altero obligatio, et in me jus contra illum, ita quod si non faciat violet jus. Quod si dicas sufficere pactum Dei in materia, quæ æqualitatem respiciat inter duo: si enim receditur ab æqualitate receditur a justitia: non vero requiritur, quod ex communicatione et actione unius inducatur obligatio in alterum, contra est, quia potest Deus promittere dare oranti tantum quantum valeat oratio, et non plus; et tamen non hoc reddit ex justitia, ita ut sit injustus si non reddat.

X. Minor vero syllogismi facti probatur, quia quæcumque actio vel communicatio creaturæ, ita est Dei, et sub dominio ejus, sicut quæcumque res creata, et multo magis quam sub dominio proprio creaturæ, et quantumcumque Deus docet illam creaturæ, non amittit dominium illius summum quod habet, neque hoc potest Deus abdicare a se, quia non potest manere creatura, quin Deus jugiter in eam influat, et consequenter titulum dominii supremi in eam retineat; et similiter quantumcumque creatura eam actionem, vel rem donet, et offerat Deo, nihil novi dominii et juris in eo causat, ut habeat titulum justitiæ retribuendi ei, quia ipsummet offerre et dare, et ipsa actio creaturæ a Deo originatur et ex influxu ejus pendet, et aliquid ipsius est. Si ergo quidquid dat aut facit creatura, est aliquid Dei et sub ejus dominio, et ipsa actio dandi, et faciendi ab ipso est, quantumcumque faciat pactum, aut promissionem retribuendi, et dandi aliquid pro tali actione creaturæ, non ori-

tur in ipso Deo aliquod jus, et debitum strictum dandi, vel retribuendi aliquid creaturæ. Patet consequentia, quia illud debitum seu obligatio est onus impositum Deo respectu creaturæ, et in hoc onere, seu obligatione vel tota, et adæquata ejus ratio formalis oritur ex promissione et pacto Dei, vel oritur ex actione creaturæ erga ipsum; supponendo tamen pactum et promissionem, ut conditionem et applicationem requisitam. Si tota ratio formalis est ex ipso pacto et promissione Dei, solum ergo sibi ipsi obligatur, et ratione suæ fidelitatis, et veracitatis tenetur implere, eo quod cadit illa promissio super re alias sua, et super persona cujus totum esse, et actio, et bona, et quidquid est Dei est. Et ita si Deus vult se obligare, et pacisci, est mere gratuitum respectu creaturæ, quia nihil accipit ab illa, sed totum illud est suum, et propter id quod est suum promittere, dare, aut retribuere aliquid, solum manet in vi promissionis obligatus, non in vi justitiæ, id est, non in vi alicujus quod suum non sit, et sibi detur. Si vero ratio formalis illius tituli, et illius obligationis oritur ex ipsa actione creaturæ: ergo oneratur et obligatur Deus titulo justitiæ ex aliquo quod alias suum est, quod repugnat, quia de illo quod meum est possum disponere ut placuerit quamdiu meum est, et sub mea potestate, de illo autem quod debeo ex justitia stricta non possum ad meum libitum disponere, sed juxta alterius jus, quod in dominio supremo Dei ponere, nefas est: ergo ex acceptatione ejus quod meum est, et meum manet, et quod ut fiat, a me dimanare debet, non possum stricte obligari ad retribuendum alteri, magis quam in meipso obligari possum; a meipso autem ex fidelitate, non ex justitia obligor. Et ad hoc

THEOLOGIA III.

servit exemplum de filio, et de servo, a quorum actionibus non potest induci jus strictum in patre et domino, eo quod aliquid illius sunt: multo ergo minus a creatura in creatorem.

XI. Dices: Licet bona ista et actiones creaturæ sint ipsius Dei ut supremi Domini, tamen etiam sunt creaturæ, licet imperfectiori dominio: ergo capax est Deus alicujus stricti et rigorosi debiti, quia capax est ut hoc quod habet creatura offerat in obsequium ejus sub illo dominio quo habetur a creatura, licet etiam alio habeatur a Deo; et præsertim quia intercedente pacto et promissione, potest Deus obligari obligatione orta ex tali pacto, licet sit materia super quam habet dominium, quia etiam illud habet creatura, licet inferiori modo qua etiam ratione inter filium et patrem, servum et dominum, potest intercedere tale pactum, quod sit validum et inducat jus strictæ justitiæ in vi contractus, quantum est ex natura rei, et seclusa lege humana aut civili, quæ reputat illos, ut unam personam: revera enim distinctæ sunt et pro hac parte capaces mutue illius obligationis, et eodem modo Deus et creatura; imo licet sint eadem persona, si habeat plures naturas, in quibus persona illa gerit vices plurium, intercedere potest justitia, ut in Christo Domino erga Deum. Addo quod sufficit ad rationem justitiæ, quod servetur forma commutativæ justitiæ ex parte ipsarum rerum, quia redditur tantum quo tanto secundum valorem rerum inter se, et inde potest acquiri homini jus proprium et strictum, et non solum moralis decentiæ ad obtinendum a Deo talem retributionem acceptante, et consentiente ipso per pactum, quidquid sit an Deus constituatur debitor simpliciter, vel non: id enim perti-

net ad imperfectionem justitiæ, non ad substantialem ejus rationem.

Sed contra has responsiones instauratur argumentum.

XII. Contra primam quidem, quia licet creatura habeat creatum dominium, et inferius ad dominium Dei, tamen ex hoc quod totum hoc dominium tribuat Deo, acceptante et consentiente Deo, non potest acquirere jus contra ipsum, nec in Deo inducere obligationem et debitum, quia non dat Deo aliquid quod de novo habeat, vel novo modo habeat, quia totum hoc quod dat creatura, et ipsamet actio dandi, et modus novus dandi beneficium Dei est, et sub ejus supremo dominio habet. Quod autem creatura habet dominio inferiori, non potest transferre in Deum, quia Deus non est capax domini imperfecti, quale est in nobis, et dominium supremum, divinum quod habet in nos, et in actiones, et bona nostra, non potest ei acquiri ex nobis: ergo nostri domini oblatio et communicatio non dat aliquid Deo quod non sit suum, neque facit, ut novo modo sit suum, quia illud quod potest dare Deo solum est sub nostro dominio imperfecto et creato, et sub hoc non potest a Deo haberi: ergo nos non transferimus aliquid in Deum ex vi nostri domini, nec nostrum dominium aliquid, conducit, ut Deus novo modo, aut novo titulo et jure nobis obligetur. Et dato quod transferre possemus, et Deus esset capax nostri imperfecti et inferioris domini, et hoc novo titulo posset possidere, totum hoc ex Deo dimanare debet, scilicet quod nos transferamus in ipsum quod hoc imperfectum dominium habeamus, et quod ei illud offeramus: ergo nihil ei offerimus, quod suum non sit, etiam quoad modum habendi de novo. Si autem non damus aut communicamus illi aliquid quod fiat suum, nisi

illo supremo dominio quod ipse habet, sic nihil illi offerimus, nisi quod suum est, et de quo facere potest quod voluerit: ergo ex vi illius donationis, oblationis aut communicationis nullum jus quod Deum stricte alliget, in vi justitiæ fundare possumus, quia id quod damus suum est, et ipsum dare illi, beneficium ejus est, et ab ipso prius descendit. Et in hoc stat tota vis apostolici verbi: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Id est, quis a se incepit dare ei aliquid, et non potius ab ipso accepit? Quod si accipit ab ipso, et quidquid est ipsius est quomodo in hoc dare et communicare ipsi, potest fundari obligatio Dei ad nos et debitum, ut retribuatur? Ergo si obligatur, de suo est, non de nostro. Nullus autem de suo debitum sibi, et obligationem strictam creat, quæ justitiæ commutativæ sit.

XIII. Quod vero dicitur, quod intercedente pacto potest Deus obligari obligatione orta ex ipsa promissione, et pacto Dei sicut inter patrem et filium, servuum et dominum posset intercedente pacto, et promissione oriri naturalis obligatio justitiæ, si lege positiva non prohiberentur, totum hoc non obstat, quia nos loquimur de filio et patre, domino et servo, prout stante lege humana unum est sub potestate, et dominio alterius, hoc enim stante repugnat induci strictum jus justitiæ, quia est irrefragabile principium quod jus commutativum et strictum non potest induci ex communicatione vel actione circa id quod meum est, sed solum si detur mihi quod alias meum non erat, et inde nascatur debitum in me erga dantem mihi, ita quod prior det ut ego retribuam seu debeam retribuere. Quod autem in filio et patre, servo et domino jure humano introductum est ut reputentur una persona civiliter, et totum quod servi est sit

domini, et sic non possit inducere jus strictum secundum considerationem civilem, id totum in creatura, et Deo naturale, et intrinsicum est, quia creatura ita naturaliter est tota Dei, et totum quod agit aut communicat est beneficium Dei, et sub ejus perfectissimo et summo dominio, ut quidquid inde agit, non aliud agat quam Deo dare id quod ejus est, et rem suam. Quis autem potest intelligere quod ex actione seu communicatione ejus quod meum est, et quod est in manu mea ad libitum sicut omnia sunt in manu Dei, possit alter in me inducere jus et debitum strictum retribuendi ei: ita ut lædatur jus, si non fecero? Cum totum hoc nitatur in eo quod meum est, de quo licet mihi quod volo facere, non autem ligatus manere debeo jure alterius. Nec sufficit ad hoc pactum, seu promissio, quia hæc cadit super tali materia, scilicet quæ sit mea, et ex beneficio meo totaliter pendens, pactum me obligandi circa illam, in mea voluntate, aut fidelitate innititur, non alterius onere et debito mihi injecto, et sic non fundat jus commutativum, et strictæ justitiæ alterius erga me, sed mei ad me.

XIV. Contra secundam vero solutionem facit, quia ad rationem justitiæ commutativæ, non sufficit servare formam et modum justitiæ commutativæ ex parte rerum, ita quod detur tantum pro tanto, constituendo æqualitatem in rebus, sed ulterius spectatur etiam debitum, et jus personarum: nec enim jus quod essentialiter respicit justitia commutativa; et ex cujus violatione injustitia committitur, potest versari circa res præcise, et non tangere personas: personæ enim sunt quæ debito et obligatione justitiæ gravantur, et tenentur: res autem solum sunt materia hujus debiti et obligationis. Pertinet autem ad jus-

titiam commutativam non solum facere æqualitatem in rebus, sed in ipsis obligationibus, et debitis personarum implendo obligationem, unius, et servando illæsum jus alterius, quod totum pertinet ad personas. Licet autem res ipsæ inter se habeant valorem, et adæquationem, tamen non sufficit hoc ad constituendam justitiam, et jus commutativum, sed requiruntur aliæ conditiones, sine quibus debitum hoc statui non potest, nempe quod non ita sit utrumque sub dominio perfecto unius partis, quod libere possit uti illo ut voluerit; et sic ex acceptione illius non oriatur sibi onus et debitum retribuendi strictum et rigorosum, sicut de illo loquimur in præsentia. Cum autem Deus tam ipsum quod ei offerimus seu damus, quam id quod nobis tribuit, sit omnino sub ejus dominio et disponat de illo ut voluerit, licet inter se res ipsæ adæquationem servant, non tamen debitum aliquod ex tali communicatione et actione sibi inducitur. Sine debito autem in persona non constituitur justitia commutativa, quia hæc non est in rebus, sed circa res, sed est in persona, si quidem ad voluntatem pertinet, ejusque actum reddit justum, ex eo quod implet debitum suum. Unde non sufficit in rebus fieri æqualitatem, si in personis non est debitum, et obligatio qua justitia ista adimpleat, ea enim sublata, tollitur formalis, et specifica ratio talis justitiæ, salvatur tamen modus, seu forma justitiæ ex parte rerum ipsarum, quasi effectus quidam justitiæ, quantum ad æqualitatem in rebus, quia iste modus non consistit nisi in adæquatione, et æqualitate rerum inter se; quia tamen hæc fit sine debito, et obligatione personæ orta ex actione alterius erga se, fit non ex justitia rigorosa, sed ex divina fidelitate, aut justitia distribu-